

## CAPUT XXX.

*Missio Discipulorum cum mandatis; de virga et calceis, etc.*

LXX. SANE deinceps non apparet ordo rerum gestarum. Nam post hæc duo *facta*, de cæcis et muto dæmonio, ita sequitur: « Et circumibat Jesus civitates omnes et castella, docens in synagogis eorum et prædicans Evangelium regni, et curans omnem languorem, et omnem infirmitatem. Videns autem turbas, misertus est eis; quia erant vexati, et jacentes, sicut oves non habentes pastorem. Tunc dicit Discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci: rogate ergo Dominum messis, ut ejiciat operarios in messem suam. Et convocatis duodecim Discipulis suis dedit illis potestatem spirituum immundorum, » et cætera usque ad illud ubi ait: « Amen dico vobis non perdet mercedem suam<sup>1</sup>. » In hoc toto loco, quem nunc commemoramus, multa monuit Discipulos suos: sed utrum eum ex ordine Matthæus subjunxerit, an ei ordo narrandi recordatio sua fuerit, sicut dictum est, non apparet. Hunc locum breviter videtur perstrinxisse Marcus, et eum sic ingressus est, dicens: « Et circumibat castella in circuitu docens: Et convocavit duodecim, et coepit eos mittere binos; et dabat illis potestatem spirituum immundorum, » et cætera usque ad illud ubi ait: « Excute pulverem de pedibus vestris, » in testimonium illis<sup>2</sup>. » Sed antequam hoc narraret Marcus, prius post resuscitatum filiam archisynagogi, illud

<sup>1</sup> Matth. ix, 35-38, et x, 1 et 42. — <sup>2</sup> Marc. vi, 6-11.

narravit, ubi Dominum in patria sua mirabantur, unde illi esset tanta sapientia et virtutes, cum ejus cognationem nossent: quod Matthæus post admonitionem istam Discipulorum, et post alia multa commemorat<sup>1</sup>. Itaque incertum est, utrum hoc quod agitur in ejus patria, Matthæus omissum revocaverit, an Marcus recordatum anticipaverit, quisnam eorum ordinem rei gestæ, et quis recordationis suæ tenuerit. Lucas autem continuo post resurrectionem filiae Jairi, subjungit hunc locum de potestate et admonitione Discipulorum<sup>2</sup>, tam breviter sane quam Marcus: neque ipse ita, ut hoc sequi etiam in rerum gestarum ordine appareat. In nominibus ergo Discipulorum, Lucas, qui eos alio loco nominat, cum prius eliguntur in monte, a Matthæo non discrepat, nisi in nomine Judæ Jacobi<sup>3</sup>, quem Matthæus Thaddæum appellat; nonnulli autem codices habent Lebbæum. Quis autem unquam prohibuerit duobus vel tribus nominibus hominem unum vocari?

LXXI. Solet item quæri, quomodo Matthæus et Lucas commemoraverint dixisse Dominum Discipulis, ut nec virgam ferrent; cum dicat Marcus, « Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum: » et sequatur etiam ipse, « Non peram, non panem, neque » in zona æs: » ut ostendat in eodem loco versari narrationem suam, in quo et illorum qui dixerunt nec virgam ferendam. Quod ita solvitur, ut intelligamus sub alia significatione dictam virgam, quæ secundum Marcum ferenda est: et sub alia illam quæ secundum Matthæum et Lucam non est ferenda: sicut sub alia significatione intelligitur tentatio, de qua dictum est, « Deus neminem » tentat<sup>4</sup>, » et sub alia de qua dictum est, « Tentat vos » Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum<sup>5</sup>: » illa

<sup>1</sup> Matth. xiii, 54. — <sup>2</sup> Luc. ix, 1-6. — <sup>3</sup> Id. vi, 14-16. — <sup>4</sup> Jac. 1, 13. — <sup>5</sup> Deut. xiii, 3.

seductionis est, hæc probationis. Sicut iudicium aliter accipitur, de quo dictum est, « Qui benefecerunt, in resurrectionem vitæ; qui male fecerunt, in resurrectionem iudicii<sup>1</sup>: » et aliter, de quo dictum est, « Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta<sup>2</sup>: » illud enim iudicium damnationis est, hoc discretionis.

LXXII. Et multa alia sunt verba, quæ non habent unam significationem, sed diversis locis congruenter posita, diverso modo intelliguntur, et aliquando cum expositione dicuntur: ut est illud, « Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, ut sensibus perfecti sitis<sup>3</sup>. » Hoc enim breviter clausa sententia dici potuit, « Nolite esse pueri, sed estote pueri: » et illud, « Si quis putat se sapientem esse in vobis in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens<sup>4</sup>: » quid enim aliud dixit, quam: Non sit sapiens, ut sit sapiens? Aliquando autem clausæ ita dicuntur ut exerceant inquirentem: ut est quod ait ad Galatas, « Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi. Qui enim putat se esse aliquid, cum nihil sit, se ipsum seducit. Opus autem suum probet unusquisque, et tunc in semetipso habebit gloriam, et non in altero. Unusquisque enim proprium onus portabit<sup>4</sup>. » Nisi oneris nomen sub diversis significationibus acceperis, procul dubio putabis eundem sibi in loquendo esse contrarium, et hoc in una sententia tam vicine positis verbis: qui cum paulo ante diceret, « Alter alterius onera portate, » postea dixit: « Unusquisque proprium onus portabit. » Sed alia sunt onera participandæ infirmitatis, alia reddendæ rationis Deo de actibus nostris: illa cum fratribus sustentanda communicantur, hæc propria ab unoquoque portantur. Ita et virga intelligitur spiritaliter, de qua dicebat Apostolus, « In virga veniam ad

<sup>1</sup> Joan. v, 29. — <sup>2</sup> Psal. xlii, 1. — <sup>3</sup> 1 Cor. xiv, 20. — <sup>4</sup> Galat. vi, 2-

» vos<sup>1</sup>: » et corporaliter, qua utimur sive ad equum, sive ad aliquid aliud opus fuerit: ut interim omittam et alias hujus nominis figuratas significationes.

LXXIII. Utrumque ergo accipiendum est a Domino Apostolis dictum, et ut nec virgam ferrent, et ut non nisi virgam ferrent. Cum enim secundum Matthæum diceret eis: « Nolite possidere aurum, neque argentum neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: » continuo subiecit, « Dignus est enim operarius cibo suo<sup>2</sup>. » Unde satis ostendit; cur eos hæc possidere ac ferre noluerit non quod necessaria non sint sustentationi hujus vitæ, sed quia sic eos mittebat, ut eis hæc deberi demonstraret ab illis ipsis quibus Evangelium credentibus annuntiarent, tanquam stipendia militantibus, tanquam fructum vineæ plantatoribus, tanquam lac gregis pastoribus. Unde Paulus dicit: « Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit! Quis pascit gregem, et de lacte gregis non percipit<sup>3</sup>? » Hinc enim loquebatur de iis quæ necessaria sunt prædicatoribus Evangelii: unde paulo post dicit: « Si non vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metemus? Si alii potestatis vestræ participant, non magis nos? sed non sumus usi hac potestate<sup>4</sup>. » Unde apparet hæc non ita præcepisse Dominum, tanquam Evangelistæ vivere aliunde non debeant, quam eis præbentibus quibus annuntiant Evangelium; alioquin contra hoc præceptum fecit idem Apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus transigebat, ne cuiquam gravis esset<sup>5</sup>: sed potestatem dedisse, in qua scirent sibi ista deberi. Cum autem a Domino ali-

<sup>1</sup> 1 Cor. iv, 21. — <sup>2</sup> Matth. x, 9, 10. — <sup>3</sup> 1 Cor. ix, 7. — <sup>4</sup> Ibid. xi, 12. — <sup>5</sup> 2 Thess. ii, 9.

quid imperatur, nisi fiat, inobediendiæ culpa est: cum autem potestas datur, licet cuique non uti, et tanquam de suo jure cedere. Hæc ergo Dominus loquens Discipulis, id agebat, quod ipse Apostolus paulo post apertius ita explicat: « Nescitis quoniam qui in templo operantur, » quæ de templo sunt edunt? qui altari deserviunt, altari compartiantur? Sic et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere: ego autem nullius horum usus sum<sup>1</sup>. » Cum itaque dicit ita Dominum ordinasse, se autem usum non esse, utique ostendit utendi potestatem datam, non impositam serviendi necessitatem.

LXXIV. Hoc ergo ordinans Dominus, quod eum ordinasse dicit Apostolus, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere, illa Apostolis loquebatur, ut securi non possiderent, neque portarent huic vitæ necessaria, nec magna, nec minima. Ideo posuit, « Nec virgam, » ostendens a fidelibus suis omnia deberi ministris suis, nulla superflua requirentibus. Ac per hoc addendo: « Dignus » est enim operarius cibo suo, » prorsus aperuit et illustravit unde et quare hæc omnia loqueretur. Hanc ergo potestatem virgæ nomine significavit, cum dixit: « Ne » quid tollerent in via, nisi virgam tantum<sup>2</sup>. » Potuit enim sic breviter dici: Nihil necessariorum vobiscum feratis, nec virgam, nisi virgam tantum: ut illud quod dictum est, « Nec virgam, » intelligatur, ne minimas quidem res; quod vero adjunctum est, « Nisi virgam tantum, » intelligatur, quia per potestatem a Domino acceptam, quæ virgæ nomine significata est, etiam quæ non portantur non deerunt. Utrumque ergo Dominus dixit, sed quia non utrumque unus Evangelista commemoravit, putatur ille qui virgam sub alia significatione positam

<sup>1</sup> Matth. x, 10. — <sup>2</sup> Marc. vi, 8.

tollendam dixit, ei qui virgam rursus aliud significantem non tollendam dixit, esse contrarius; sed jam ratione reddita non putetur.

LXXV. Sic et calceamenta cum dicit Matthæus in via non esse portanda, curam prohibet, qua ideo portanda cogitantur, ne desint. Hoc et de duabus tunicis intelligendum est, ne quisquam eorum præter eam quam esset indutus, aliam portandam putaret, sollicitus ne opus esset, cum ex illa potestate posset accipere. Proinde Marcus dicendo calcari eos sandaliis vel soleis<sup>1</sup>, aliquid hoc calceamentum mysticæ significationis habere admonet, ut pes neque tectus sit, neque nudus ad terram, id est, nec occultetur Evangelium, nec terrenis commodis innitatur. Et quod non portari vel haberi duas tunicas, sed expressius indui prohibet dicens: « Et ne induerentur duabus » tunicis, » quid eos monet nisi non dupliciter, sed simpliciter ambulare?

LXXVI. Ita Dominum omnia dixisse, nullo modo dubitandum est, partim proprie, partim figurate: sed Evangelistas, alia istum, alia illum inseruisse scriptis suis; quædam vero eadem vel duos, vel tres eorum quoslibet, vel omnes quatuor posuisse: nec sic tamen omnia esse conscripta, quæ ab illo seu dicta seu facta sunt. Quisquis autem putat non potuisse Dominum in uno sermone quædam figurate, quædam proprie ponere eloquia, cætera ejus inspiciat, videbit quam hoc temere atque inerudite arbitretur. Potest enim iste, (ut unum aliquid dicam quod animo interim occurrit,) quoniam monet, ut non sciat sinistra quod facit dextera<sup>2</sup>, et ipsas eleemosynas, et quidquid illic aliud præcipit, figurate accipiendum putare.

LXXVII. Sane rursus admoneo, quod oportet meminisse lectorem, ne tali admonitione sæpissime indigeat,

<sup>1</sup> Marc. vi, 9. — <sup>2</sup> Matth. vi, 3.

aliis atque aliis sermonum suorum locis Dominum multa iterasse, quæ alibi jam dixerat; ne forte ipsorum locorum ordo cum ex alio Evangelista non convenerit, alicui eorum hinc putet esse contrarium: cum intelligere debeat iterum alibi dici, quod jam alibi dictum erat nec tantum de dictis, verumetiam de factis observari debere. Nihil enim prohibet hoc idem iterum factum credere: calumniari autem Evangelio, dum non credit iterum factum, quod iterum fieri non potuisse nemo convincit, sacrilegæ vanitatis est.

## CAPUT XXXI.

*Joannes e carcere mittens ad Christum.*

LXXVIII. SEQUITUR Matthæus, et dicit: « Et factum est, cum consummasset Jesus, præcipiens duodecim Discipulis suis, transiit inde, ut doceret, et prædicaret in civitatibus eorum. Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? et cætera, usque ad illud ubi ait, « Et justificata est sapientia a filiis suis<sup>1</sup>. » Hunc totum locum de Joanne Baptista, quod miserit ad Jesum, et cujusmodi responsum acceperint illi quos misit, et quidquid post eorum abscessum de Joanne Dominus dixit, interponit et Lucas<sup>2</sup>: non quidem ipso ordine, sed quis eorum recordationis suæ, quis rerum ipsarum hic ordinem teneat, non apparet.

<sup>1</sup> Matth. xi, 1-19. — <sup>2</sup> Luc. vii, 18-35.

## CAPUT XXXII.

*Christus exprobrans civitatibus impœnitentiam.*

LXXIX. SEQUITUR Matthæus, et dicit: « Tunc cœpit » exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ » virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam, » etc. usque ad illud ubi ait, « Terræ Sodomorum remissius erit » in die judicii, quam tibi<sup>1</sup>. » Etiam hoc commemorat Lucas<sup>2</sup>, continuato cuidam sermone Domini etiam hæc ex ipsius ore conjungens: unde magis videtur ipse hoc ordine illa commemorare, quo a Domino dicta sunt; Matthæus autem suæ recordationis ordinem tenuisse: aut si illud quod idem Matthæus ait: « Tunc cœpit exprobrare » civitatibus, » sic accipiendum putatur, ut punctum ipsum temporis voluisse credatur exprimere in eo, quod dictum est, « Tunc, » non autem ipsum tempus aliquanto latius quo hæc multa gerebantur et dicebantur; quisquis hoc credit, credat etiam hoc esse bis dictum. Cum enim et apud unum Evangelistarum inveniantur quædam quæ bis dixerit Dominus; sicut apud eundem Lucam de non tollenda pera in via et similiter cæteris, duobus locis dictum a Domino invenitur<sup>3</sup>, quid mirum si et aliquid aliud bis dictum singillatim a singulis dicitur eodem ordine quo dictum est, et ideo diversus ordo apparet in singulis, quia et tunc quando et ille, et tunc quando iste commemorat, dictum est?

<sup>1</sup> Matth. xi, 20-24. — <sup>2</sup> Luc. x, 10, 12 et 15. — <sup>3</sup> Id. ix, 3, et x, 4.

## CAPUT XXXIII.

*Christus invitans ad tollendum jugum et onus suum.*

LXXX. SEQUITUR Matthæus : « In illo tempore respondens Jesus dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli » et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, » etc. usque ad illud ubi ait, « Jugum enim meum suave est, et onus meum leve<sup>1</sup>. » Hujus loci et Lucas meminit, sed ex parte. Non dicit enim ipse, « Venite ad me omnes qui laboratis, » et alia quæ sequuntur. Semel autem hoc dictum a Domino, sed Lucam non totum quod dictum est commemorasse, credibile est. Matthæus enim dicit, « In illo tempore respondens Jesus » dixit : » posteaquam exprobravit civitatibus : Lucas autem post illam exprobrationem civitatum, interponit quædam, non tamen multa; atque hoc ita subjungit, « In ipsa » hora exultavit Spiritu sancto, et dixit<sup>2</sup>. » Unde etiam si Matthæus non « In illo tempore » diceret, sed « In ipsa » hora, » tam pauca interponit Lucas in medio, ut etiam eadem hora dictum non absurde videatur.

<sup>1</sup> Matth. xi, 25-30. — <sup>2</sup> Luc. x, 31.

## CAPUT XXXIV.

*Discipuli vellentes spicas.*

LXXXI. SEQUITUR Matthæus, et dicit : « In illo tempore » abiit Jesus sabbato per sata; Discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, et manducare, » et cætera, usque ad illud ubi ait, « Dominus est enim Filius » hominis etiam sabbati. » Hoc quoque sine ulla repugnantia quæstione commemoratur et a Marco et a Luca<sup>1</sup>, sed illi non dicunt, « In illo tempore. » Unde fortassis magis Matthæus rei gestæ hic ordinem tenuit, illi autem recordationis suæ : nisi latius accipiatur quod dictum est, « In illo tempore, » id est, quo hæc multa et diversa gerebantur.

## CAPUT XXXV.

*De manu arida curata.*

LXXXII. SEQUITUR ergo Matthæus, ita narrans : « Et » cum inde transisset, venit in synagogam eorum. Et ecce » homo manum habens aridam : » et cætera, usque ad illud ubi ait, « Et restituta est sanitati sicut altera<sup>2</sup>. » De isto sanato, qui manum habebat aridam, etiam Marcus et Lucas non tacent<sup>3</sup>. Posset autem putari eo die factum

<sup>1</sup> Marc. ii, 23-28, et Luc. vi, 1-5. — <sup>2</sup> Matth. xii, 9-13. — <sup>3</sup> Marc. iii, 1-5, et Luc. vi, 6-10.

et de spicis et de isto sanato, quoniam et sabbatum hic commemoratur; nisi Lucas aperuisset alio sabbato factum esse de sanitate aridæ manus: proinde quod ait Matthæus, « Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum, » non quidem venit nisi cum inde transisset, sed post quot dies in synagogam eorum venerit, posteaquam a segete illa transivit, an recta continuoque illuc ierit non expressum est. Ac per hoc locus datur narrationi Lucæ, qui dicit alio sabbato hujus manum sanata. Sed potest movere, quomodo Matthæus dixerit, quod ipsi interrogaverint Dominum, « Si licet sabbato curare, » volentes invenire accusandi occasionem; ipse vero illis de ove proposuerit similitudinem, dicens, « Quis erit ex vobis homo qui habeat ovem unam, etsi ceciderit hæc sabbatis in foveam, » nonne tenebit, et levabit eam: quanto melior est homo » ove? itaque licet sabbatis benefacere; » cum Marcus et Lucas illos potius a Domino interrogatos esse perhibeant, « Licet sabbato bene facere, an male; animam salvam » facere, an perdere? » Itaque intelligendum est quod illi prius interrogaverint Dominum, « Si licet sabbato curare: deinde quod intelligens cogitationes eorum, aditum accusandi quærentium, constituerit in medio illum, quem fuerat sanaturus, et interrogaverit quæ Marcus et Lucas eum interrogasse commemorant: ac tunc illis tacentibus, proposuisse similitudinem de ove, et conclusisse quod liceat sabbato bene facere: postremo circumspectis eis cum ira, sicut Marcus dicit, contristatum super cæcitate cordis eorum, dixisse homini, « Extende manum » tuam. »

## CAPUT XXXVI.

*De ordine rei gestæ post manus aridæ curationem.*

LXXXIII. SEQUITUR Matthæus, ita contexens narrationem suam: Exeuntes autem Pharisei consilium faciebant » adversus eum, quomodo eum perderent. Jesus autem » sciens, recessit inde; et secuti sunt eum multi, et curavit » eos omnes: et præcepit eis ne manifestum eum facerent: » ut adimpleretur quod dictum est per Isaïam prophetam » dicentem, » et cætera, usque ad illud ubi ait: « Et in nomine ejus Gentes sperabunt<sup>1</sup>. » Hoc solus iste commemorat, illi duo in alia perrexerunt. Ordinem sane rei gestæ videtur Marcus aliquantulum tenuisse, qui dicit Jesum cognita maligna adversum se dispositione Judæorum, secessisse ad mare cum Discipulis suis, et ad eum turbas confluisse, et sanasse eum plurimos<sup>2</sup>. Unde autem coeperit in aliud ire, non quod ordine sequeretur, vix apparet, utrum ubi dicit convenisse ad eum turbas; potuit enim hoc jam et alio tempore: an ubi dicit: « Ascendit » in montem. » Quod et Lucas videtur commemorare dicens, « Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare<sup>2</sup>. » Dicendo enim, « In illis diebus, » satis ostendit non continuo factum.

Matth. XII, 14-21 ex Isaï. XLII, 1. — <sup>2</sup> Marc. III, 7-12.

## CAPUT XXXVII.

*De dæmoniaco muto et cæco.*

LXXXIV. **M**ATTHÆUS ergo sequitur et dicit : « Tunc » oblatu*s* est ei dæmonium habens, cæcus et mutus ; et » curavit eum, ita ut loqueretur et videret <sup>1</sup>. » Hoc non isto ordine, sed post alia multa Lucas commemorat, et mutum dicit tantum, non etiam cæcum <sup>2</sup> : sed non ex eo quod aliquid tacet, de alio dicere putandus est ; ea enim sequentia etiam ipse contexit quæ Matthæus.

## CAPUT XXXVIII.

*De loco ubi dictum est, in Beelzebub ejici dæmonia.*

LXXXV. **S**EQUITUR Matthæus dicens : « Et stupebant » omnes turbæ, et dicebant : Numquid hic est filius David ? Pharisæi autem audientes dixerunt : Hic non ejicit » dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Jesus » autem sciens cogitationes eorum dixit eis : Omne regnum » divisum contra se desolabitur, » etc. usque ad illud ubi ait : « Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis » condemnaberis <sup>3</sup>. » Marcus non ex occasione illius muti subjicit dictum de Jesu, quod in Beelzebub ejiceret dæmonia ; sed post alia quædam, quæ solus commemorat, hoc quoque subnectit, sive alio loco id recolens et adjun-

<sup>1</sup> Matth. xii, 22. — <sup>2</sup> Luc. xi, 14. — <sup>3</sup> Matth. xii, 23-37.

gens ; sive aliquid prætermittens, et deinde ad hunc ordinem rediens <sup>1</sup>. Lucas autem pene totidem verbis hoc dicit quod Matthæus <sup>2</sup> : et quod digitum Dei appellat Spiritum Dei, ab eadem sententia non recedit ; quin potius et aliquid docet, ut noverimus quemadmodum intelligamus ubicumque Scripturarum legerimus digitum Dei. In aliis autem, quæ non hic dicunt Marcus et Lucas, nulla controversia est : nec in his quæ aliquanto aliter dicunt, quia eadem sententia est.

## CAPUT XXXIX.

*De loco ubi petitur signum a Domino.*

LXXXVI. **S**EQUITUR Matthæus, et dicit : « Tunc res- » ponderunt ei quidam de Scribis et Pharisæis dicentes : » Magister, volumus a te signum videre, » etc. usque ad illud ubi ait, « Sic erit et generationi huic pessimæ <sup>3</sup>. » Hæc etiam Lucas narrat eo quidem loco, sed aliquanto dispari ordine <sup>4</sup>. Nam illud quod petierunt signum a Domino de cælo, supra commemoravit post illud de muto miraculum : et non ibi retulit, quid eis ad hoc Dominus respondisset ; sed postea cum turbæ concurrissent, dicit hoc fuisse responsum eis, quos dat intelligi superius a se commemoratos, quod de cælo signum quærebant : et hoc annectit posteaquam interposuit de muliere, quæ dixit Domino. « Beatus venter qui te portavit. » Hanc autem mulierem interponit, cum de sermone Domini commemorasset, quod spiritus immundus exiens ab homine,

<sup>1</sup> Marc. iii, 22-30. — <sup>2</sup> Luc. xi, 14-26. — <sup>3</sup> Matth. xii, 38-45. — <sup>4</sup> Luc. xi, 16-37.

redit, et invenit mundatam domum. Post mulierem ergo illam, cum diceret responsum esse turbis de signo, quod de cœlo quærebant, interposita similitudine Jonæ prophetæ: deinde continuato sermone ipsius Domini, commemorat dictum de regina Austri, et de Ninivitis. Ita aliquid potius commemoravit, quod Matthæus tacuit, quam aliquid prætermisit eorum, quæ hoc loco ille narravit. Quis autem non videat superfluo quæri, quo illa ordine Dominus dixerit; cum et hoc dicere debeamus per Evangelistarum excellentissimam auctoritatem, non esse mendacium, si quisquam non hoc ordine cujusquam sermonem digesserit, quo ille a quo processit, cum ipsius ordinis nihil intersit ad rem, sive ita, sive ita sit. Et adhuc Lucas productiorem hunc Domini sermonem indicat, et in eo quædam commemorat, qualia Matthæus in sermone illo, qui est habitus in monte<sup>1</sup>, quæ bis dicta intelligimus, et ibi scilicet, et hic. Terminato autem isto sermone, in aliud perguit Lucas: in quo utrum ordinem rerum gestarum servarit, incertum est. Ita enim connectit, « Et cum loqueretur, rogavit eum quidam Pharisæus ut pranderet » apud se<sup>2</sup>. » Non autem ait, Cum hæc loqueretur, sed « Cum loqueretur. » Nam si dixisset, Cum hæc loqueretur, necessario cogeret intelligere hoc ordine non tantum a se fuisse narrata, verum et a Domino gesta.

<sup>1</sup> Matth. v et vii. — <sup>2</sup> Luc. xi, 37.

## CAPUT XL.

*Christus interpellatus a matre etc.*

LXXXVII. SEQUITUR ergo Matthæus, et dicit: « Ad » huc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus et fratres » stabant foris, quærentes loqui ei, » etc. usque ad illud ubi ait, « Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei » qui in cœlis est, ipse meus frater et soror et mater est<sup>1</sup>. » Hoc sine dubio consequenter gestum intelligere debemus. Præmisit enim, cum ad hoc narrandum transiret, « Ad » huc eo loquente ad turbas; » quid est autem, « Adhuc, » nisi illud quod loquebatur? Non enim dixit: Et eo loquente ad turbas, ecce mater ejus et fratres; sed « Adhuc eo loquente; » quæ cum dicit, cogit intelligi, hæc loquente, quæ superius indicabat. Nam et Marcus post illud quod de blasphemia Spiritus sancti, quid Dominus dixerit retulit, « Et veniunt, inquit, mater ejus et fratres<sup>2</sup>: » prætermisiss quibusdam, quæ in eodem textu sermonis Domini et Matthæus prolixius Marco, et Lucas prolixius Matthæo posuerunt. Lucas autem non hujus rei gestæ ordinem tenuit, sed præoccupavit hoc, et recordatum ante narravit. Denique hoc sic interposuit, ut solutum appareat a nexu et superiorum et posteriorum. Post commemoratas enim quasdam parabolas Domini, ita hoc de matre et fratribus ejus recordatum interposuit: « Venerunt autem » ad illum, inquit, mater et fratres ejus: et non poterant ad eum adire præ turba: » non expressit quando ad eum venerint. Rursus cum et hinc transit, ita loquitur:

<sup>1</sup> Matth. xii, 46-50. — <sup>2</sup> Marc. iii, 31-35.